

36.
7!

4

PASTOR FIDUS

ex I. Tim. IV, 16.

adumbratus,

&

PRÆSIDE

CASPARE LOESCHERO,

SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ordinario,

Consistorii Elect. Sax. Assessore Seniore,

Ecclesiæ Wittenberg. Pastore, & Superintendente Generali,

tendente Generali,

ex Lutheri Cathedra

defensus,

ab

Auctore Respondente

CHRISTIANO KELLNERO,

Ciza Misn.

d. 27. Mart. A. C. M D C C I I.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

Coll. diss. A
93, 43

Sl. A. 193(43)

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



7!

PRÆFATIO.



Vemadmodum ipse Salvator
 noſter, Paſtorum ille omnium
 ſummus Epiſcopus, gubernator
 & πρῶταρχος fideliffimus eſt con-
 ſtantiffimusq̄ue, Joh. X, 14. 15. ita
 fidos etiam eos, & Ἰπικμένοντας ju-
 re meritoq̄ue requirit, q̄ui ipſius
 hoc in militantium cœtu σύμμα-
 χοι, quaſiq̄ue vicarii, audire cupiunt. Cum enim ii
 nunc Paſtores, Eſa. XIII, 14. Jer. III, 15. Ezech. XXXIX,
 cap. tot. Joh. X, 2. Eph. IV, 11. modo (q̄uod magno ſa-
 ne ipſis & honori & ſolatio) Salvatores vocentur,
 Obad. comm. 21. modo aliis hujusmodi titulis, ſoli Chri-
 ſto κατ' ἐξοχὴν competentibus, Pfalm. XXIII, 1. Joh. X,
 12. digni habeantur, certe eo majori vigilantia, fide
 & conſtantia animi officio ſuo perfungi debent.
 Hinc cum tanta ſit eorum dignitas, mihi autem ſpe-
 cimen aliquod ſacrum edendum exiſtimarem, haud
 à me alienum cenſui, ſi ſvaſu Magnif. Dn Præſidis, q̄væ-
 dam de PASTORE FIDO commentarer. Cum e-
 nim mihi nihil aliud ſit propoſitum, q̄vam ut olim
 DEO ejusq̄ue Eccleſiæ inſerviam, illud, q̄uod dixi,
 argumentum mihi inprimis conveniens ac dignum,
 q̄uod tractarem, videbatur. Nam ille demum eſt
 καλὸς Διάκονος Ἰησοῦ Χριſτοῦ, q̄ui eſt ἐν τρεφόμενος τοῖς λό-
 γοις

A 2

2015

τοῖς τῆς πίστεως, καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας, quam exigit Apostolus. Quamvis enim initio vererer, ne tam arduam suscepisse materiam tyroni vitio verti posset, tamen cum nec ipse Apostolus juventutem Timothei, ejusdemque Presbyteri atque Episcopi Ecclesiæ, contemni velit, I. Tim. IV, 12. juvenesque præcipue deceat, ut sincera rerum divinarum cognitione ad arduum munus sacrum sese præparent, Psalm. LXXI, 5. I. Joh. II, 14. nec hæc meas meditationes culpatum iri, speravi. Sed quo haberem, cui potissimum inniterer, elegi oraculum Paulinum, quo in universa Scriptura non datur illustrius, quodque singulis Ecclesiæ Ministris munus Ecclesiasticum & Ministeriale pulchrius & efficacius commendat. Extat vero I. Tim. IV, comm. ult. hisce descriptum verbis: Ἐπεχε σεαυτῷ, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ· ἐπίμενε αὐτοῖς· τὸτο γὰρ ποιῶν, καὶ σεαυτὸν σώσεις, καὶ τὰς ἀκούοντας σὺ.

Versio Desid. Erasmi Roterod.

Attende tibi ipsi & doctrinae: persiste in his: Nam id si feceris, & te ipsum servabis, & eos qui te audiunt.

Ceterum, quo mens Spiritus Sancti clarius elucescat, tres constituimus Partes, quarum

I. Analytica.

II. Exegetica.

III. Porismatica.

Tu, autem, Pastor Summe, pasce nos verbo tuo, & duc nos in veritatem tuam, quia verbum tuum est veritas!

Pars

Pars I. Analytica.

§. I.

Non solius Timothei, sed quorumvis etiam fidorum Ecclesiæ Antistitum causa scriptam esse totam hanc Epistolam, non inscite colligunt. *B. Balduinus, Gerbardus, it. Calvinus & Estius* in Commentariis. Licet enim Epistola Titulum *πρὸς Τιμόθεον* præ se ferat, adeoque Apostolus eum in functione sua Pastoralis ut filium & Collegam instituere videatur: tamen propterea ceteros Ecclesiæ Pastores non excludit, sed potius sub Timothei persona omnes ac singulos edocet, quomodo in officio suo & sese gerere, & Auditores ad vitam recte informare debeant. Vid. 1. Tim. III, 2. & 8. 2. Tim. II, 2. Itaque vivo & absoluto veri Pastoris exemplari proposito, statim Cap. I, Summam doctrinæ Christianæ, comm. 5. Legem nimirum & Evangelium, comm. 8. & II. unice Pastori meditandam ac docendam repetit, commonetque, ut vitata *ἐπερδιδασκαλία*, comm. 3. novis scilicet & a forma sanorum verborum alienis quaestionibus, comm. 4. *πιστὸν λόγον* comm. 15. recipiant festenturque. His generatim & velut *ἐν συνόψει* commemoratis, pergat C. II, ad specialius quoddam momentum, Doctori Ecclesiæ vere primum, præcipuum ac familiare, interprete B. Luthero, ipsique orationem & preces pro omnibus fundendas, tanquam res maxime necessarias commendat, comm. 1. seqq. Ubi postea C. III. reliqua Pastorum tum superiorum, comm. 2. tum inferiorum, comm. 8. requisita recenset, causis simul annexis. Cum vero

Pastores non sint sine ovibus, his ipsis autem a lupis imminentibus periculofissimæ infidiæ struantur, censente Pastore bono, Joh. X, 12. hinc C. IV, considerat Correlatum, vultque Pastores cautos esse, & jubet, ut solo Spiritus gladio, id est, Verbo Divino telis ipsorum resistent, eaque repellant.

§. II. Itaque versu ultimo, quem jam per Dei gratiam enucleandum suscipimus, maximum rei huic addit pondus, totoque pii Pastoris officio ratione sui & Auditorum diviso, Pastorem eum verbis brevissimis adumbrat. Siftit autem hunc (N) ut *Idoneum*, idque α) ratione sui. Nam per τὸ ἐπέχειν σεαυτῷ, nihil aliud designat, quam studium vitæ irreprehensibilis, ne illa Auditoribus reddatur scandalosa, id quod præced. comm. 7. & 8. jam tetigerat, monens, uti remotis rebus infructuosis Timotheus veræ studeat pietati, inque ea se quam diligentissime exerceat. β) ratione doctrinæ, dum inquit, ἐπέχε τῇ διδασκαλίᾳ. Quod fieri potest, 1) Christum, unicam salutis viam, docendo & approbando, comm. 9, 11. 2) legem Mo- sis contra gratiam urgentes publice refutando, comm. 3. 3) de omnibus hisce Auditores commonefaciendo, comm. 6. 4) anilia & profana loquentes objurgando, comm. 7. 5) & denique promissionibus futuræ vitæ erigendo afflictos, comm. 8. ut adeo, quod Scripturæ sacræ est officium, nempe docere, redarguere, corrigere, instituere, II. Tim. III, 16. idem & ipsum sit Doctoris Ecclesiæ, quippe qui in solis sacris literis eruditus & informatus esse debeat. Demum γ) ratione constantiæ, cum non sufficiat bene cœpisse, sed & cœpta bene continuasse, inque

iis probe ac constanter perseverasse. Atque adeo hortatur Apostolus, ut non tantum sedula vitæ per-
scrutatione & assidua Verbi Divini meditatione suæ,
verum etiam saluberrimis admonitionibus sine in-
termissione continuatis Auditorum saluti consulere
velit: quod ex pulcherrimis Synonymis luculenter
apparet, quas vel in unicum hoc caput cumulatissi-
me congescit. comm. 6. 7. 11. 12. 13. 14. 15. 16.

§. III. Dehinc transgreditur etiam ad utilita-
tem & efficaciam Administri Ecclesiæ, & sistit eum,
(☞) ut *salutarem*, idque *cum sibi ipsi*, non quidem dan-
do sibi vitam æternam, quod esset ἀποπρω, nec, quem
admodum Pontificii contendunt, ratione bonorum
operum, quia bona illa opera, quæ meritum sibi vin-
dicant, potius mala dicenda sunt, & solus Deus est
Salvator omnium hominum, comm. 10. sed ratione
causæ Ministerialis, ut adeo sensus sit: Si hoc fece-
ris, id est, si verbum Dei tibi jam commendatum ri-
te tractaveris, eidem credideris, obedieris, atque hac
ratione viam salutis inieris, salvabis te ipsum ex illo
Verbo Dei, utpote quod *est potentia Dei ad salutem o-*
mnium credenti, Rom. I, 16. tum vero etiam *gregi*, hoc est
iis, qui sermonem audiunt, auditumque in corde ho-
nesto ac bono retinent, ac fructum afferunt per
patientiam, Luc. VIII, 15. Servant autem Pastores
gregem, dum fulciunt stantes, ne cadant, erigunt la-
psos, ne pereant, sed per prædicationem auditum,
per auditum fidem, & per fidem salutem consequan-
tur, Rom. X, 17. Gal. II, 16.

Pars

Pars II. Exegetica.

Sectio I.

Exegetis Grammatica.

Quæ ad hanc pertinere videbuntur, singula succincte & ordine ponderabimus, quo rerum momenta clarius cognosci possint. Hoc itaque officio in præsentia defungemur.

§. I. Ἐπέχε, Præsens Imperativi, quod, mediante verbo, ἐπέχω, intendo vel attendo, ab ἄνω, super, & ἔχω, habeo, Apoc. I, 18. descendit. Ab eo Participium ἐπέχων, observans, Luc. XIV, 17. ἐπέχοντες, prætendentes, Phil. II, 16. derivatum deprehendimus. Ex prima autem impositione inhibitionem notat, ut idem sit ac inhibere, retinere, reprimere ac morari. Unde etiam olim quidam Philosophi Ephectici dicebantur, quos Cunctatorum nomine signavit *Budeus*, quod nihil certo sciri posse pronunciarent. Deinde etiam usurpatur Neutraliter pro subsistere, Act. XIX, 21. ubi Paulus in Asia ad tempus substitisse dicitur. Neutra vero hic locum invenit significatio. Ἐπέχειν enim h. l. idem est, ac προσέχειν, animum attendere, ac diligenter observare, quandoquidem & apud Latinos scriptores intendere, & attendere sæpe permixta legimus, observante *Eustathio*. Includit autem hoc verbum simul continuationem demandatæ curæ, quod sæpiuscule in S. Scriptura fit, Vid. *Glass. Philol. S. Lib. III. Tract. III. Can. 4. p. 240.* Erat enim Timotheus, juxta *Eusebii* sententiam, Episcopus, Pauli in fide filius, isque bonorum *optimus*, Phil. II, 20, & in
Chri-

Christo frater, 1. Tim. I, 1. qui jamjam laudabilem confessionem coram multis ediderat. C. VI, 12. Si ergo in fide, notitiaque Theologica, non valde probatus inventus fuisset, Episcopatum illi neutiquam concessisset Apostolus. Quicquid hujus fit, videmus, commotionem hanc ei datam fuisse, non tam ad accendendum, quam ad magis inflammandum ad virtutes ratione sui, ad industriam verò & cautelam ratione doctrinæ & Auditorum.

§. II. Σεαυτῷ, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ, tibi & doctrinæ. Σεαυτῷ a genitivo Σεαυτῶ, tui ipsius, quod a σὲ αὐτῷ divisis vocabulis, Luc. II, 35. descendit. Tibi ipsi, dicit Apostolus, significanter & singulari cum Emphasi, ut indicet, plurimum interesse, si Pastores exempla honestatis & pietatis omnibus suppeditent, ne morem ex sese malum progignant. Unde Paulus immaturos cæcorum duces increpat, quod, docentes alios, se ipsos non doceant, Rom. II, 21. τῇ διδασκαλίᾳ, doctrinæ. Primitivum διδάσκω, doceo, informo, 1. Cor. IV, 17. Unde Διδάσκαλος, magister, Matth. X, 14. Hic eam significat doctrinam, quæ Theologo est digna, & hæc est doctrina de DEO. Illud proinde sentit Apostolus: Tu vero, frater in Christo carissime, qui jamjam juventutem egregiis virtutibus, fido Episcopo dignis, constabiliri audivisti, ne aut Episcopatu tuo insufficienter ac indigne præfuisse, aut solidam tuam eruditionem maculis vitiorum contaminasse videaris, quantum observationis debeas & tibi, & gregi tuo, perpende. Non est officium tuum situm in mundana quadam voluptate, sed in curanda gregis salute. Non est vere Episcopus Ecclesiæ Dei, qui no-

B men

men sine omine possidet. Vivis in conspectu sanctissimi, summi, ac æterni illius Numinis, quod viam tibi stravit ad sanctissima sua templa: a quo donum, quod in te est, per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii accepisti. Ne ergo aut vitæ improbitate, aut officii incuria illud negligas, vide.

§. III. Ἐπιμῶνε αὐτοῖς. Perseste in illis. Pergit Apostolus, & postquam de incremento virtutum & industriæ dixerat, cohortatur Timotheum ad finalem perseverantiam. Ἐπιμῶνεν enim ex Ἰη, super, & μῶνεν, manere compositum, non simplicem hic notat mansionem, cujusmodi memoratur Act. X, 48. & XXVIII, 12. 1. Cor. VI, 8, quod & Grotius defendere conatur, qui vocabulum αὐτοῖς ad Ephesios restringit; sed aucta significatione constantem perseverantiam, talemque perduramtionem, quæ ab omni defectione sit remotissima. Commode ergo hic verba subintelligi possunt: εἰς τέλος, Matth. XXIV, 13. Marc. XIII, 13. vel: ἕως θανάτου, Apoc. II, 10. Cum ille tantum, qui perseverat finaliter, salvandus sit; inconstantibus autem pugnantibus corona superfit nulla, & vero τῷ Ἐπιμῶνοντι ab ipso Spiritu S. æterna salus tribuatur. Hinc & interpretes vere certare videntur in inveniendis vocabulis, quibus mentem Apostoli exprimant. Tremellius & Junius vertunt: constanter perseste; Osiander: insta vel persta; alii, ut Pricæus, explicant per Ἰπιστῆναι, adjecta ratione ex 2. Tim. V, 2. Αὐτοῖς autem omnium commodissime referri poterit ad proxime præcedentia. His, scilicet, duobus, ut & tibi attendas & doctrinæ. Hæc igitur est mens Apostoli: Non omnino sufficit, Timothee
mi,

mi, bene cœpisse, (cœpisti autem optime,) sed etiam in cœptis perseverare, necesse est. Duxisti hactenus vitam in fide: perge ducere, ne *πρόσκαιρος* evadas. Luc. VIII, 13. gregem etiam duxisti: hunc pasce, ne fias mercenarius, mercenariique mercedem accipias. Joh. X, 1.

§. IV. In ordine jam evolvendum venit fundamentum præmissæ theseos a duplici fructu. *τὸ γὰρ πικρὸν*. Hoc enim faciens. Particula *γὰρ* non tantum est *αιτιολογικὴ*, inferens rei causam, Tit. II, 11. sed & *συλλογιστικὴ*, atque conclusiva, Joh. X, 26. Quæ significatio huic loco omnium maxime convenit & quadrat. Potest quidem & ipsa nota quædam esse causalitatis, si quidem nec principalis nec meritoria causa, sed tantum modo ministerialis inferatur: sed tamen, cum nec salus æterna meritis bonorum operum acquiratur, nec idcirco ea facienda sint, ut æternam salutem consequamur, tutius fuerit, si eam asseramus conclusionis notam esse. Ratiocinatur enim Apostolus a fructu, qui attentionem Pastoris sibi & cœtui suo, perseverantiamque necessario consequatur.

§. V. *Σώσεις σεαυτὸν*. Salvabis te ipsum. Prioris origo vocabuli, si spectetur, deductum est id *σῶσις* aut *σῶσις* contracte *σῶσις*, salvus, incolumis, integer: & generatim quamlibet notat conservationem in periculis: eaque notione usurpatur, Matth. VIII, 25. de re nautica, ubi periclitantes in mari discipuli, & fluctibus a vento commotis undiquaque cincti, Domini auxilium implorabant, inquentes: *κύριε, σῶσον ἡμᾶς* *Serva nos, Domine*. Speciali autem sensu

in S. codice salutem æternam per Christum partam, significat, ubi adeo hoc $\sigma\acute{\omega}\zeta\omega$ aut $\sigma\acute{\omega}\omega$ Hebraico $\nu\psi$ & qua literas & qua significatum congruit. Eodemque sensu tribuitur Salvatori nostro unico *Jesu Christo*. Est enim is Mediator Dei & hominum, *qui dedit se in pretium redemptionis pro omnibus*. 1. Tim. II, 5. *In quo solo salus*. Act. IV, 12. Ceterum datur hoc loco Hellenismus, quem & observavit B. *Glasius*. L. III, Tract. III. Can. 22. §. 4. p. 294. Et post hunc *Prücknerus* in Commentario Philol. Theol. in tot. Bibl. P. V. p. 664, Datur vero ille in eo, quod causæ organicæ tribuitur, quod soli principali assignandum erat. Datur autem duplici modo. Primo enim servatio illa, de qua sermo est, intelligenda venit $\lambda\eta\pi\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$, vera fide ex verbo hausta, meritum Christi Pastori perinde atque Auditoribus applicando. Deinde $\mu\epsilon\tau\alpha\delta\omicron\lambda\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$ verbum Dei salutare aliis dispensando. *Non tribuitur hic meritis operum causa salutis æternæ, sed solummodo docetur hoc loco, quod Deus eos velit salvos facere, qui ex vera in Christum fide bene operantur: Et affirmatur, ministerium verbi esse organum per quod credentes æternam salutem consequantur*. Commentatur egregie in h. l. *Andreas Osiander*.

§. VI. $\kappa\alpha\iota\ \tau\acute{\alpha}\varsigma\ \alpha\kappa\acute{\alpha}\sigma\omicron\nu\tau\acute{\alpha}\varsigma\ \sigma\upsilon$, & eos, qui te audiunt. $\alpha\kappa\acute{\alpha}\sigma\omicron\nu\tau\acute{\alpha}\varsigma$ Participium est verbi $\alpha\kappa\acute{\alpha}\sigma\epsilon\nu$. Matth. XI, 15. quod audire significat, proprieque unum ex quinque sensibus externis respicit. Deinde ad sensus internos refertur, & pro intellectu accipitur. I. Cor. IV, 2. Sed illa tamen cum primis acceptio non est prætereunda, qua ipsi voluntati tribuitur, qua quidem acceptione est auditis parere, dicto audientem esse, obedire.

bedire. Hoc modo usurpatur, Joh. X, 16. ubi Christus ait, oves suas vocem suam audituras. conf. Matth. XI, 15. Ac ea quidem significatio potissimum huc quadrat. Neque enim per Audientes Apostolus simpliciter tales intelligit, quippe cum & Pharao, Exod. VII, 1. seqq. aliique excœcati & obdurati homines audiverint sæpius vocem Dei, nec tamen conversi, ideoque, nec salvati fuerint: sed tales, qui cordis conversionem & vitæ obedientiam auscultationi conjunctam habent, quales describuntur Luc. VIII, 15. Ad hos spectant promissiones textus nostri aliorumque, exempli gratia Luc. XI, 28. *Beati illi, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Atque hæc quidem de literalis sensu sufficient.

Sectio II.

Exegesis Rhetorica.

Circa Oraculum nostrum, quod in genere ἐκκλησιαστικῶν seu deliberativo est observandum

1) Ἀσύνθετον, ὁμοιόπλωτον & ὁμοιοτέλειον.

2) Merismos. Dividit enim cum in Antecedente, tum in Consequente: ibi Pastorem primo in officia, deinde in objecta; hic fructum atque utilitatem in Subjecta.

3) Metonymia Subjecti pro Adjuncto. Neque enim tam, ut Timotheus sibi ipsi attendat, vult Apostolus, quam ut vitæ suæ rationem habeat; nec etiam tam, ut doctrinæ, quam ut puritati doctrinæ attendat, Paulus adhortatur.

4) Metaphora in verbo σώζειν a rebus humanis ad
B 3
res

res divinas, sacras & Theologicas. Namque non more humano, neque ab homine nudo, nec in periculis temporalibus servamur; sed more divino, a Deo, & in discrimine spirituali. Equidem redempti sumus ex fovea aquis non repleta, Zach. IX, 11. a maledictione legis, Gal. III, 13. ex orco, Os. XIII, 14. non tamen propterea ab omni periculo sumus liberati, tanquam omnis abesse debeat timor & cura. Restat enim adhuc supra nos ensis acuminatus, arcus sinuatus, telaque Dei mortifera, Psalm. VIII, 13. circa nos Peripateticus ille rugiens ad instar leonis, I. Pet. V, 5. lupique detetrimi, Act. XX, 29. intra nos lex in membris decertans contra legem mentis, Rom. VII, 23. conscientia angens & adigens ad desperationem. Sap. XVII, 11. denique infra nos infernus rictu distento, Es. V, 14. e quibus periculis dum & quamdiu adhuc in hac miseria versamur, sumus eripiendi, servandi, æternæque libertati reddendi. Servamur igitur ministerio verbi divini, ut perpetuam securitatem nanciscamur.

5) πολυσύνθετον, abundantia scilicet copulæ *καὶ*, indicans non modum salvationis diversum (salvat enim se Minister Dei credendo; alios hortando, docendo & corrigendo) sed ipsum actum, perinde ac si dixerit divinus scriptor: Non solum servabis te, sed etiam te audientes.

6) Synecdoche generis pro specie. Cum enim ponat quemvis audientem, intelligit tantum audientes pios ac probos, quippe qui soli capaces sunt præmiï illius gratiosi, cum tale sit subjectum, quale permittatur esse a suo prædicato, & vicissim,

Sectio

Sectio III.

Exegetis Logica.

§. I. Boni Pastoris quidditas potissimum in tribus hisce propositionibus consistit: Propositio prima est hæc: *Timotheus debet attendere sibi*: quæ Enunciatio est naturalis, singularis & simplex, & opposita est Epicuræis, qui oculum Dei ubique præsentem negantes, mollia & secura agunt otia. Subjectum hic subintellectum Timotheus est, non tam in sese, quatenus homo est, quam ratione officii sui spectatus, quatenus nimirum Pastor est Ecclesiæ. Prædicatum est: debet attendere sibi, scilicet Timotheus vi mandati & cohortationis obstrictus est, ut moribus suis sedulo & accurate attendat. Pugnat pro hac positione triplex argumentum. Unum ex subiecto fluens hoc est:

Quicumque est talis persona, cui aliorum cura demandata est, ille ad sibi etiam prospiciendum recte obligatur.

Atqui Timotheus est talis persona, cui aliorum cura est demandata.

Ergo Timotheus ad sibi etiam prospiciendum recte obligatur.

Majorem demonstrat Paulus præcedente Cap. III, 5. *Si quis inquit, sue domui præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei prospiciet?* Minor per se clara est. Aliud ex Prædicato, ex quo sic colligo:

Ad quodcunque faciendum aliquis a Spiritu S. impellitur, illud exequi debet.

Atqui Timotheus ad attendendum sibi a Spiritu S. impellitur.

Ergo Timotheus illud exequi debet.

Ma-

Major stat immota. Minor probatur, quia Paulus erat vir θεόπνευστος, atque doctrinas, admonitionesque omnes instinctu Spiritus S. proferebat. Tertium ex objecto, quod est σεαυτῷ.

Quicumque est juvenis, Theologicorum certaminum ad huc imperitus, & ad peccandum proclivior, ille eo accuratius in se intueri debet.

At vero Timotheus juvenis est, Theologicorum certaminum ad huc imperitus, & ad peccandum proclivior.

Ergo Timotheus eo accuratius in se intueri debet.

Major patet, quia is, qui nescit fallacias hæreticorum, iis quam fallacime seduci potest. De Minore videatur Baldainus in argumento hujus Capitis.

§. II. Propositio secunda est hæc: *Timotheus debet attendere doctrinæ*: quæ propositio affirmativa est & naturalis, sicut prior, vindicans proprietatem Fido Pastori convenientem, contra Fanaticos hodiernos, in habendis concionibus immediatam ἐλλαμψιν Spiritus expectandam, & quicquid in buccam venit, pro cathedra docendum esse, statuentes. Subjectum autem hic est Timotheus, idemque rursus ratione officii consideratus: Prædicatum idem fere, quod in Propositione prima. Stabilitur autem hæc thesis duabus rationibus: Una fluit ex voce διδασκαλία:

In quacunque re ratio muneris pastoralis consistit, illa primario Pastori attendenda est.

Atqui in doctrina divina pure proponenda, ratio muneris pastoralis consistit.

Ergo illa primario Pastori attendenda est.

Major invicta est. Minor ex definitione patet, quæ vel in solo Oraculo nostro tota conspicitur, uti in

Part.

Part. III. demonstrabimus, Altera ratio latet in Correlato Pastorum, quod sunt *οἱ ἀκούοντες*. In quibus iterum hoc reconditum est argumentum:

Si varia sunt Auditorum ingenia, rudia videlicet ac erudita; effrenata & pacifica; contumacia & contrita, sequitur, quod Pastores id, quod docere volunt, caute & accurate ponderare debeant.

Verum est prius, Ergo & posterius.

Nexus majoris evincitur, quia apud contritos Evangelium, apud præfractos & contumaces Lex adhiberi debet. Quod si enim hoc negligatur, facile fieri potest, ut oves ex doctrina suorum Pastorum venenum potius securitatis aut desperationis, quam mel vitæ fugant.

§. III. Propositio tertia est hæc: *Timotheus debet perseverare.* Itidem & hæc propositio enunciative affirmativa est, & contrariatur Syncretistis, cum Universalissimis, tum Universalibus, tum etiam Particularibus, qui hominem in aliis etiam religionibus salvari posse asserentes, nec defectionem a fide, ejusque abnegationem tanti esse momenti dicunt: Superstrui autem hæc Propositio uni huic fundamento in textu expresso potest:

Quicumque perseverando sua pariter ac Auditorum saluti conducere possunt, illi, ut perseverent, omnino obligantur. Atqui Timotheus & hodiernum omnes Ecclesiastæ, perseverando sua pariter ac Auditorum saluti conducere possunt. Ergo illi ad hoc omnino obligantur.

Utrumque Assumptionis membrum in textu inest: Unum latet; alterum patet; prius implicite, posterius explicite continetur.

C

Se-

Sectio IV.

Exegetis Theologica.

§. I. Perspectis, quoad fieri potuit, sententiis, ex Philologia & Logica oblatis, ad Theologicam sensus investigationem recta progredimur. Quæritur jam, qua ratione Ministri Ecclesiæ sibi ipsis attendere debeant? Ac simplici quidem mente hic respondetur, fieri id posse, omnium vitiorum, quibus potest maculari sacer status, diligentissima evitacione, virtutum contra Pastoralium exemplari sectacione. Est enim totum nostrum Oraculum quædam quasi Synopsis omnium præcedentium. Ubi namque Apostolus verfabatur in definienda Pastoris persona, vitia fugienda virtutibus, virtutesque sectandas vitiis permiscet: *Oportet, inquit, Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem: non violentum, non percussorem; sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed sue domui bene prepositum, filios habentem subditos cum omni castitate, I. Tim. III, 2. 3. 4. 6.* Confimiliter de Diaconis, comm. 8. *Diaconos itidem pudicos, non bilingves, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura esse jubet.* Eodem modo scribit ad Titum, C. I, 7. 8. 9. *quod oporteat Episcopum (atque adeo & Pastorem quemvis alium) inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem, non præfractum, non iracundum, non vinosum, non percussorem, non turpiter lucro deditum. Sed hospitalem, &c.* Hinc & bene B. Gerbardus, it. Estius, Menochius, & alii, hoc ad vitam universe bonam restringunt, quæ sane dum demum bona est, si virtutibus congruit, & vitio-

vitio-

vitiorum est expers. Nec male quis mentem Apostoli illustraverit ex I. Cor. IX, 27. Fieri enim id omnino debet supprimendo corpus suum, illudque perdomando. Neque hinc abscedit *Matth. Flacius* ad h. l. f. 1058. b. *Attendere sibi est, præter privatæ salutis curam, etiam in timore Dei sedulo officium à Deo præscriptum, expendere, suæque consilia & actiones attente ponderare, ac expendere & pie solíciteque regere ac ad gloriam Dei & publicam utilitatem dirigere, quod I. Cor. XI, 28. dicit seipsum dijudicare, non dissolutis moribus pecudis instar agere.* Repete quæ in *Analyfi Gram, & Logica* adducta sunt. §. I.

§. II. Sed quænam porro illa doctrina est, ecqua item illius attentio? Quod si Pontificios consulimus, dicunt illi non esse doctrinam verbi divini tantum, sed etiam humanarum traditionum. At enim vero cum aliæ doctrinæ præter verbum Dei expresso anathemate notatæ sint, Gal. I, 8. merito hanc sententiam ut impiam rejicimus. Est enim cultus ille irritus & frustraneus, qui fit doctrinis & præceptis hominum, *Matth. XV, 9.* Quid? quod & finis Theologiæ vita æterna solo verbo divino acquiri potest ac debet. *Joh. VI, 68. VIII, 51. Rom. XV, 4.* Hinc & Petrus monet, ut si quis loquatur, loquatur tanquam eloquia Dei, *I. Pet. IV, 11.* Annuncianda sunt Auditoribus ea, quæ quis a Deo accepit. *Es. XXI, 10. conf. II. Tim. II, 2. & II. Tim. III, 15.* Et hæc quidem doctrina attendenda, lustranda atque ponderanda est caute, propter retinendam *ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαίνόντων λόγων,* *II. Tim. I, 13.* Mox ea convertenda in confutationem, mox castigationem, mox & admonitionem, *II. Tim. III, 16.* ne detrimento sit ovibus. Quam ob

causam verbum Dei cum pascuis comparatur, Psalm. XXIII, 2. seqq. Sicut autem oves naturales viridia & valde delicata pascua amant, nec quidvis devorant obvium, ita bonæ & salubres herbæ ovibus Servatoris porrigendæ.

§. III. De perseverantia autem, ad quam hortatur Apostolus, nihil svadet, ut fusius agamus, cum facile unusquisque perspiciat, eam hic intelligendam esse, quæ ad finem ab utraque parte obtinendum aliquid conferri possit. Hæc vero est perseverantia in fide & doctrina salutari. Non enim hic locum habet simplex quædam mansio & naturalis, pedum, aut corporis, sed animi atque animæ voluntatisque. Explicat hoc *ἰμμενεειν* Apostolus Epistola subsequente C. IV, 2. ubi eundem cohortatur Timotheum, inquit: *Prædica verbum, instæ, εὐκαιρως, ἀκαιρως, tempestive, intempestive, increpa, minare, cohortare cum omni patientia & doctrina.* Nec minus bene hic locus Luc. XIV, 23. accommodatur, ubi Deus servos suos exire jubet in vias, & eos, qui juxta sepes inveniuntur, *ἀναγκάζειν*, cogere ad cœnam magnam, id est, continua verbi penetrantis prædicatione, & qua refractarios severa pœnarum comminatione, rogare, incitare, & constanter urgere, ad exemplum ipsius Dei longanimis, qui manum suam ad impios quosvis extendere tota die, non cessat, Esa. LXV, 2. Tales igitur & Deus esse vult Ministros suos, talem etiam Paulus desiderat Timotheum, tales & alios, quippe, qui sermone directo ad omnes Ephesinos Pastores, Act. XX, 31. inquit: *Estote vigiles, reminiscetes, quod per totum triennium nocte dieque lacrymis unumquemque hortari non cessaverim.*

§. IV. O-

§. IV. Omnium maximam autem difficultatem relinquere videtur τὸ σῶζεν, cum præcipue non tantum Sociniani, sed & Pontificii, alique, qui Christo Salvatori unico divinam dignitatem sive omnem, sive ex parte derogare conantur, eo maxime abusi sint: illi quidem, ut hypothese suæ, de Christo *ψιλανθεώπρω*, inservirent; hi vero, ut meritum bonorum operum eo melius demonstrarent. Sed enimvero, neutros hoc loco invenire, quod, ut dicitur, ad rhombum, omnia textus momenta probant. Missus enim erat Timotheus, non ut Dominus, sed ut servus Salvatoris & Minister, I. Thess. III, 2. quemadmodum & alii Pastores *servi Dei* appellantur I. Cor. IV, 1. qui *plantant & rigant*, sed non *ii, qui dant incrementum*, I. Cor. III, 5. seqq. quod facit solus Jehovah, qui per ministerium verbi efficaciter hominum fidem ac vitam operatur, & est *autor & consummator fidei*. Hebr. XII, 2. Hinc, se suosque Auditores salvare posse Pastorem, audimus; sed quenquam eorum dici salvatorem omnium, prout Deus dicitur hoc capite comm. 10. nec legimus, nec audivimus ullibi. Quanquam autem, hic Pastoribus collatio salutis active tribuatur, quod alibi passive fit. Joh. X, 9. non tamen hæc illis tribuitur ratione sui, sed ratione verbi, quod est *potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. I, 16.

§. V. Eleganter igitur B. *Althoferus* in Hartm. Evang. p. 1155. *In collatione, inquit, ad Deum, minister Ecclesie in sui salvatione habet se mere passive; respectu verbi autem, quo mediante Deus salutem nostram procurat, non quidem quatenus illud vim suam in ministerio exerit; sed quatenus Minister Ecclesie illud proponit & docet, se ipsum*

C 3

E 4

Et alios ad salutem instruit, se juxta cum Auditoribus suis, tanquam organum Dei, active servare dicitur. Breviter: Minister Ecclesie in sui salvatione mere passive se habet in sensu diviso, non ut est Minister Ecclesie, sed ut homo salvandus: sed active, in sensu composito, ut est Minister Ecclesie & organum Dei. Nec minus scite Schomerus ad h. l. commentatur p. 165. Te ipsum salvum facies ministerialiter, nempe procurando salutem tuam, cum etiam tibi ipsi Præco fueris. Præterea potest & prius de salute sui negative explicari, prout hoc Tossanus fecit: Effugies, inquit, maledictum, quod Deus malis Ministris minatus est. apud Gerbardum in Comment. super. h. l. qui pergit, & salvationem Auditorum de salutari organo explicat, per cujus doctrinam Deus potenter in cordibus operatur. Quod & B. Balduinus in quæst. VI. alterius Partis super hoc caput exacte expressit. Paucis: Indicat hæc vox Organi, per quod salvatio fit, vim atque singularem divinamque efficaciam, Ministerii Ecclesiastici summam necessitatem & utilitatem, & Objecti hujus debitam erga illud reverentiam. Ex iis vero quæ hucusque exposita a me sunt, sequitur tandem descriptio sequens: Pastor Fidus est ordinarius Ecclesie Minister, eum in finem a Deo vocatus & constitutus, ut constanter, sincere & accurate sibi ipsi & doctrinæ ex verbo Dei haurienda (aut hausta) attendat, inque eadem masculine persistat, quo & se ipsum & alios, qui eundem audiunt, eternum servet.

Pars III. Porismatica.

Multa essent, quæ congerere ex usu Scripturæ quintuplici possemus, porismata in nostro Oraculo occurrentia:

rentia: Sed propter angustum quod restat, paginae spatium, ea tantum attingemus, quae vel ab ipso Apostolo intenta sunt, vel nostris temporibus maxime accommodata.

Porisma. I.

Nullus Pastor Fidus in otio vivere debet.

Veritas asserti patet ex prima Oraculi Paulini vocula: Ἐπεχε, attende animum, & lustra tam personam tuam, quam etiam officium tuum. Quod si autem Pastoribus nihil laboris impositum esset, frustra deinceps Apostolus tantopere excitaret Timotheum: ἀφ' ἧλας, annuncia, comm. II. ἐπέσεχε, attende, comm. 13. μὴ ἀμέλει, ne negliges, comm. 14. Sed μελέτα, cura, comm. 15. Quas & admonitiones in Epistola subsequente fusius continuat C. IV, 2. Verum enim Sacerdotium non est otium. Hinc Propheta Hieremias non iis tantum aeternam minatur ruina, qui opus Domini plane non tangunt, sed & illis, qui leviter attingunt, inque eo perficiendo claudicant. Jer. XLIX, 10. Constat enim, exemplum Christi δεξιποιδίᾳ & ipsis in specie ad imitandum propositum esse, qui ad dissipatas oves perditas congregandas durissimos subiit labores. Isa. LIII, 12. Vindicant etiam Porisma nostrum nomina, quibus in S. codice Ecclesiae Ministri ornantur. Audiunt enim 1) Operarii messis magne, Matth. IX, 38. qui auctis laboribus defatigati, horrifico tentationum calore fere contabescunt; 2) Operarii vineae, Matth. XX, 1. qui mox in putandis Ecclesiae vitibus, mox etiam in palmitibus ejusdem defodendis defudantes, usque ad finem diei emaciantur;

3) A-

3) *Agricola vel Hortulani*, I. Cor. III, 6. qui mox ferendo, mox arando, vel etiam plantando ac rigando tempus consumunt; 4) *Piscatores*, quorum concatenate labores per noctem etiam durantes Petrus Salvatore indicat, Luc. V, 5. 5) *Abeuntes* more Viatorum & *docentes*, Matth. XXII, 19. 6) *Vigiles* somni expertes, Ezech. III, 17. Plura ejusmodi omne otium respicientia, vid. Act. XX, 31. I. Reg. XIX, 3. seqq. II. Tim. IV, 7.

Porisma II.

Alii Pastores fidi immediate sunt edocti, alii mediate.

Hic ante omnia sciendum, quid sit informatio immediata & mediata. Illa est, quæ fit ab ipso Deo, nullis intervenientibus mediis, scilicet Doctoribus, Theologicis res proponentibus, spectabatque illa ad Prophetas & Apostolos & pariter cum iis desit. Hæc est, quæ quidem etiam fit a Deo, sed per medium interveniens, id est, per verbum revelatum & per homines personasque ad erudiendum idoneos. Utraque vero rursus ex nostro firmiter colligitur Oraculo in duobus Doctoribus. Paulus enim sicut ceteri Apostoli immediate a Deo afflatus est, cum omnia scripta & Prophetica, II. Petr. I, 21. Rom. I, 2. & Apostolica, Ebr. I, 2. *Θεοπνευστα* sint, II. Tim. III, 15. immediate etiam a Deo institutus accepit a Deo, quod dedit, I. Cor. II, 23. confer. II. Cor. XII, 4. Timotheus autem erat Filius Pauli non naturalis sed spiritualis in doctrina fidei, I. Tim. I, 2. a quo in duabus Epistolis edoctus, imo ab Avia Loide, & a Matre Eunike, utrisque Israelitis, in Verbo Veteris Testamenti informa-

forma-

formatus erat. Adeoque insigne notandum discrimen est inter Prophetas V. ut & Apostolos N. Testamenti; & inter reliquos Ecclesiæ ministros. Illi in consignando Verbo Amanuenses Dei & calami quasi scriptorii erant, Psalm. XLV, 2. non æque hi; illi ob immediatam illuminationem intellectus & voluntatis errare prorsus nescii, adeoque etiam in minutissimis à Spiritu S. κατὰ τὸ πῶς καὶ ἵ eruditi fuerunt, Matth. X, 19. 20. non hi perinde; illi non solum ad res & sententias, sed & singula verba apicesque in tota dispositione scribendos compulsi sunt, II. Pet. I, 21. hi non similiter, quippe qui eruditionis suæ sacræ autores Scripturam divinam & Præceptores eruditos agnoscere opus habent. Uti enim vocatio Ministrorum vel mediata est, vel immediata, ita eorundem etiam Informationem & revelationem aut mediatam, aut immediatam esse, necesse est. Illam nemo nisi Socinianus inficiabitur.

Porisma III.

Potest Pastor fidus informari tam à præceptoribus vivis, quam a mortuis.

Hic quidem non ad solum Paulum, sed ad totam Timothei vitam respiciendum est, imprimis cum Paulus hujus informator hæc scribens non fuerit mortuus, sed vivus. Licet enim copiosissimas admonitiones ad attendendum doctrinæ ab Apostolo habebat; tamen doctrinam ipsam, in qua informatus erat, non habebat ab ipso solo, sed simul ab Avia Loide & Matre Eunika, à quibus à pueritia sua institutus erat in cognitione sacrarum literarum, II. Tim. III, 15. ideoque eum monebat Apostolus, ut in scientia salvifica, quam sibi comparasset

D

rasset

raffet à puero, constanter perseveraret. præced. com. 14. dum recordaretur fidei ejus non simulatæ, quæ habitarat primum in parentibus, II. Tim. 1, 5. Quid? quod ipsa doctrina, quam audiverat à Paulo per multos testes, II. Tim. 11, 2. non ab Apostolo excogitata erat, sed ex scriptis Patriarcharum, Prophetarumque jam ante multa secula defunctorum deprompta erat, I. Tim. 1, 18. Monstrabat enim ipsam salutem Jesum, II. Tim. 1, 8. 9. cui testimonium dixerant Prophetæ omnes, Act. X, 43. quos etiam Timotheus postea diligenter lustrabat, atque, ut dicitur, in succum & sanguinem convertibat. Unde exemplum hoc reliquos Pastores fidos sequi par est.

Porisma IV.

Pastori Fido studium Biblicum est necessarium.

Hoc autem vel maxime est, quod antehabitis aliorum scriptis a plurimis hactenus est neglectum. Sed aliud vult Apostolus: Ἐπιχε, inquit, τῇ διδασκαλίᾳ, Attende doctrinæ, præsupponens necessario apud omnes animarum pastores, solidam & fundatam doctrinam. Hæc autem nulla alia erat, quam ea, qua Timotheus poterat salvare se & Auditores suos, dicta alioquin gladius spiritus, servans animas hominum. Eph. VI, 17. gladio omni penetrabilior, Hebr. IV, 12. verbum reconciliationis, II. Cor. V, 19. Indicat ergo Apostolus ipsam rationem & indolem officii, Ecclesiastico Doctore impositi, in lectione, prælectione, expositione, ac interpretatione positam esse, ut omnia, quæ proponunt Auditoribus, ad normam legis & Testimonii proponant, Isa. IIX, 20. nec tritico stramina immisceant, Jer. XXIII, 28. Singula enim

enim

enim minutissima etiam ex suggestu tradita, & ex sacris non bene fulta vel plane non stant, vel saltem infirma sunt. Hinc notatu dignum est, quod apud B. Job. Georg. Dorschaum, in Theologia Zachariana, ejusdemque præfixa Dissertatione de B. Chemnitio refert Hoffmannus: *Aderam, inquit, aliquando colloquio, quo alius quidam Theologus quasi examinabatur, & adigebatur a D. Chemnitio, ut de quibusdam vulgatissimis thesibus rationem ex S. Scriptura redderet. Ibi bonus iste vir, alias doctus, nec parum exercitatus, quod tritissima illa nunquam audivisset in dubium vocari, imparatior a commodis responsionibus monebatur graviter, ut etiam communissima, de quibus minime putaret dubitari posse, NB. non nisi certo Verbo Dei probe munita juventuti proponeret, itaque eam ab opinione, qua usitata exciperet, abduceret ad fidem, qua teneri etiam minutissima oporteret, quæ tamen sine verbo Dei non possint. Adæbat D. Chemnitius se per sepe in Examinibus non indoctorum, quiqve de magnis controversiis satis apte differuerint, summam in ipsis ruditatem animadvertisse, ubi de vulgatissimis solide respondere, itaque simplicitatis, quæ filios Dei maxime deceat, simplicissima fundamenta jacere necesse habuerint. Confer. D. Luth. in Lib. parænetico ad Germaniæ Nobilitatem directo, ubi hoc nostrum porisma doctissimis rationibus evincit. Argumentum autem, quod ex Oraculo nostro fluit, imprimis hoc est:*

Omnis doctrina Theologica ex S. Codice est desumenda.

Timotheus debet attendere doctrinæ Theologicæ,

Ergo Timotheus debet attendere S. Codici.

Major probatur: Si enim velit se & Auditores suos in æternum beare, alia doctrina non est proponenda,

D 2

quam

quam quæ ad tale quid peragendum sufficiens est; jam autem hæc est doctrina Dei, uti jam demonstratum. Minor quoad singula verba in textu habetur. Cæterum plurima notatu & lectu digna de hac re benevolus Lector reperiet in Præfationibus *Dn. D. Fecbtii*, quas *Dorschei* Commentario in Epistolam Judæ, & Lectionibus Schomeri in Epistolas Paulinas, & reliquorum Apostolorum, præmisit, & prolixè admodum & larga manu exhibuit, quas legisse neminem pœnitebit.

Porisma V.

*Pastori fido etiam necessarium est studium Theticum
& Antitheticum.*

Utrumque patet ex antecedente Porismate. Quo magis enim animus ad Biblicam Lectionem applicatur, hoc magis legentes ex sedula illa lectione & usu S. literarum, thesin sibi ipsis firmant, labefactant antithesin, annihilantque quotidie. Sunt enim usus Didascalici atque Elenctici primi, qui ex sanctissimis illis scriptis hauriri possunt ac debent. II. Tim. III, 16. Hanc ponit Apostolus implicite, explicite illam, quasi monens, ut Timotheus sibi sedulo caveat, ne in veritate cœlesti, Auditoribus idonee proponenda, atque ab insultibus vindicanda ineptus deprehendatur. Requirit enim observationem doctrinæ. Observatio autem postulat, ut doctrina maneat incorrupta; jam talis illa manere ne utiqvam potest, nisi & firmis muniatur fundamentis, & vitentur errores, aboleanturque, quia recte observari non potest, quod rectum est, nisi simul evitetur obliquum. Propterea clarioribus verbis Paulus ad Titum loquitur, ubi Ecclesiæ Ministrum vult esse *δυνατὶ διδά-*

οκην καὶ τὰς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, id est, *potentem ad docendum & ad refutandum obloquentes.* Tit. 1, 9. Neque enim, inquit Dn. D. Fechtius, *erudiri in necessariis fidei dogmatibus & controversiis, cum variis Ecclesie hostibus nobis intercedentibus, quis potest, sine justa accurataque Theologia Thetica & Antithetica doctrina.* in Præfat. ad Exegefin Schomeri in Epist. Pauli ad Hebr.

Porisma VI.

Fido quoque Pastori necessarium est studium Practicum & Historicum.

Prius facile colligitur ex textu. Vult enim Apostolus, ut juxta doctrinam Auditoribus inculcandam, sedulo etiam meditetur Timotheus, quomodo vitæ ratio ipsi abdicatis carnis cupiditatibus & mundi illecebris instituenda, quove pacto ad conscientie integritatem sanctitatemque morum, omnia cogitata dicta, factaque dirigenda sint. Qua de causa inquit, attende Tibi, *ne scilicet alius prædicans, ipse fias reprobus*, I. Cor. IX, 27. Habes enim Auditores, qui non tam doctrinam tuam, quam vitam spectant; habes oves, quæ te ipsum sequuntur. Hinc bene Augustinus: *Plus valet vivendi, quam loquendi modus.* Epist. CXII. in præl. p. 525. Melius Hilarius: *Optimum est, exemplo potius docere, quam dictis.* Conc. V. in Matth. p. 356. Optime verò Lactantius: *Homines malunt exempla, quam verba, quia loqui facile est, præstare difficile. Utinamque tam multi bene facerent, quam multi loquuntur bene! Sed qui præcipiunt nec faciunt abest ab eis fides.* L. IV. de Ver. Sap. C. XXIII. p. 425. Atque, ut Auditores quoque suos ad veram pietatem perducatur, in studio practico Ecclesie Minister exercitatus esse debet.

Posterius vero studium nempe Historicum ex præcedente Porismate quam maxime colligitur. Est enim Thesis & Antithesis post Scripturam S. ex Historia Ecclesiastica cognoscenda, stabilienda, confirmanda, quippe quæ tradit tam Thesin, quam hæreticorum Antithesin. Hæc omnia hæctenus recensita eleganter collegit *B. Cbytræus* in Orat. de Studio Theologiæ recte inchoando, in capita sequentia illud dividens: *De textu sacrarum literarum assidue & attente legendo, de summa totius doctrine in unum velut corpus methodice redactæ, mentibus infigenda, de præceptis artium dicendi, & imprimis Dialecticæ, & Exercitiis disputationum, de studio linguarum, de lectione Commentariorum & Scriptorum Veterum seu Patrum, de historia veterum certaminum ac iudiciorum Ecclesiæ, de studio Philosophiæ cum Theologiâ conjungendo, de experientia seu praxi doctrine in doloribus, ærumnis ac tentationibus ad usum transferenda.*

Porisma VII.

A Pastore fido novæ doctrine non sunt propalanda.

Nemo hic vel levissimo iudicio præditus non animadvertit, Thesin hanc Ecclesiæ Lutheraniæ nullam vim inferre, multo minus ejus puritatem evertere. Scimus equidem, Pontificios Ecclesiæ nostræ novitatem affingere, propterea quod ipsorum Ecclesiam novis assertis turbaverit. Sed enim vero, ipsos potius eo ruisse in propatulo est, dudumque solide demonstratum. Quare h. l. eam novitatem intelligimus, quæ antiquissimis scriptoribus $\Theta\epsilon\omicron\pi\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota\varsigma$ contrariatur. Etenim accurate hoc ab Apostolo ostensum, ut merito fundamentis aliis jam superfedere liceat.

ceat.

ceat. Nam in illa doctrina, qua inde usque a prima pueritia imbutus, posteaque a Paulo confirmatus fuerat, Timotheo standum erat atque perseverandum. Jam autem illa alia non erat, quam ipsa *ἡ ἀληθινή* *ἡ ἐπισημωμένη* II. Tim. III, 15. igitur illi aliæ novæ doctrinæ & quæstiones *ἄγρατοι*, seu scripturis haud conformes, ex ratione, maximis sæpe obfusata tenebris, non erant extrahendæ. Ideo etiam Paulus omnes, si qui aliud & novum annunciaturi essent Evangelium, præter id, quod annunciaissent Apostoli, bis anathemate notat, Gal. I, 8. 9. Cui dextram porrigit Johannes: *si quis (Doctor) ad vos venerit, & hanc doctrinam non attulerit, ne suscipiatis eum in domum.* I. Joh. comm. 10. Oppositum itaque est Porisma hoc Novatoribus vere talibus.

Porisma VIII.

Fido Pastori cum Adversariis caute est agendum.

Initio hoc ex textu luculenter deducitur. Prior enim Apostoli admonitio, ecquid aliud erat quam ad cautionem incitamentum, qua Pastores & sibi & doctrinæ consulere possint? Rectius autem illustrat hoc ipse contextus. Egerat enim Apostolus de spiritibus seducentibus, in hypocrisi mentientibus, comm. I, 2. Unde tale nascebatur argumentum:

Quibuscunque cum spiritibus seducentibus & hypocritis res est, illis necessario præcavendum, ne incauti labantur ac capiantur.

Atqui omnibus Pastoribus cum ejus generis spiritibus, tanquam cum callidissimis lupis, res est; Act. XX, 29.

Ergo necesse est, ut omnes sedulo sibi caveant.

Hoc

Hoc ipsum vult Apostoli dictum non adeo dissimile illi Johannæo: *Ne credatis, unicuique Spiritui, sed an ex Deo sint, ipsos percontemini*, I. Joh. IV, 1. Si ergo gregi cauta incumbit exploratio, quando magis eadem erit Pastorum gregis? Quin imo Salvator ipse luporum non immemor, discipulis suis æmulationem callidorum serpentum commendat: *En mitto vos sicut oves in medio luporum, estote igitur prudentes sicut serpentes*, Matth. X, 16. Quid enim, si cum Aleatoribus: quid, si cum furibus: quid, si cum crumenifecis, aliisque ejusmodi hominibus est agendum, nonne undiquaque circumspiciendum, ne decipiamur? Dux autem & Princeps illorum mendax est, Joh. VIII, 44. Simulator, II. Cor. XII, 14. In nocte veniens & spargens Zizania, Matth. XIII, 25. Quid filii illius non erunt? Ex historia certe Origenis, aliorumque incautorum pessime deceptorum plurima constant exempla, quæ in historia certaminum Ecclesiasticorum legi poterunt.

Porisma IX.

Pastor Fidus Salutem procurat per Verbum & Sacramenta.

Illud enim conversionis, hæc fidei, tum generandæ, tum etiam conservandæ media sunt: Utraque ad salutem perquam necessaria. Per hæc donatur Spiritus S. fidem efficiens. Fides autem æternæ salutis instrumentum est, Rom. IV, 1. IV, 3. Gal. II, 16. Quanquam etiam nullibi legimus a Timotheo administrata fuisse Sacramenta, tamen hoc propterea non statim negandum, Continens enim non excludit con-

con-

contentum. Prædicabat autem Timotheus totam doctrinam Evangelii, in quo recondita sunt summa illa Dei mysteria. Præterea etiam Timotheus erat *συνεργός* Pauli in Evangelio bono illo de Christo nuncio. I. Thess. III, 1. Ecquis autem jucundior nuncius unquam contigit, quam ille quem Salvator de Sacramento initiationis portat? Marc. XVI, 16 *qui baptizatus fuerit, salvabitur*; quam ille, quem idem Salvator de Sacramento Confirmationis? Pro Vobis, I. Cor. XI, 2. Ceterum singula hæc de mediis ordinariis intelligenda veniunt, ad quæ Deus ordinarie, & Pastores & Auditores obstrinxit; neutiquam de extraordinariis, cum sæpe fiat, ut absque his quidam æternum salventur, quod vel videre est in infantibus non baptizatis.

Porisma X.

Hinc Pastori Fido prædicandum est Verbum, & administranda sunt Sacramenta, pure & incorrupte.

In hoc consistit ratio & finis vocationis Pastoris præeunte B. Leon. Huttero in Compend. Theolog. Est enim Ministri Ecclesiæ pure docere Verbum Dei, & rite administrare Sacramenta juxta institutionem Christi. Cum enim tales salutem Auditorum aliter consulere nequeant, quam hoc faciendo, certe illis hoc incumbit onus, ut quantum in ipsis est, gregem Christi augeant, auctum conservent atque confirment. Dicimus autem notanter pure & incorrupte, ne alios etiam, puritatem hanc respicientes, in numerum Pastorum fidelium referre videamur. Si enim ii, qui attendunt doctrinæ, Ministerio suo salutem Auditoribus conferre queunt, vi oppositorum sequitur, eos, qui non attendunt doctrinæ fructu hoc ex-

E

cide.

cidere. Horum etenim doctrinæ Zizania sunt, in messe comburenda, Matth. XIII. 31. Contra Fidus Pastor angelus est Domini, cui incumbit custodia doctrinæ, Mal. II, 7. docere & baptizare juxta institutionem Christi, Matth. XXVIII, 19. 20.

Positima XI.

Igitur Auditores Pastorem Fidum aestimare, amare, audire, ipsique obedire debent.

Hic intelligimus, quantopere peccent Fanatici hodierni, omnibus Laicis, imo & fœminis, in quibus *δεξιότης* quædam deprehenditur, licitum esse publice docere, audacter asserentes, atque adeo erronee Sacerdotes Mysticos cum Ministris Ecclesiæ ordinariis & publicis confundentes, abusi dicto I. Pet. I, 9. Sed enimvero, annon hoc sit honores pupillæ Dei attrectare, ipsimet judicent. Nec enim Laici, nec fœminæ, ad eam rem vocati sunt: his insuper diserte tanquam infirmioribus silentium in Ecclesia impositum est. Cum e contrario Pastoribus non tantum publice docere concessum, sed illis etiam efficacia sui verbi promissa sit vi oraculi nostri. Si igitur horum commonefactiones & increpationes tantam utilitatem pariunt, quidni & Auditores corda sua ad obedientiam flectant? De *Carolo Magno* refert *Baronius* ad annum Christi 813. quod *Ludovico* filio suo jam coronato Imperatori in mandatis dederit, ut *Deum timeret, Ecclesias defenderet, Sacerdotes tanquam patres suos honoraret & respiceret.* Quam reverentiam omnibus commendavit *B. Meisnerus*, in *Medit. Sacris* super *Evang.* p. 709. *Illorum, inquit, consiliis utamur, & reverenter obsequamur. Hos qui audit, Christum audit, qui spernit,*

spernit,

spernit, Christum spernit, Luc. X, 26. Horum iudicium ita confirmatum est, ut, quod in terris solvunt, solutum; quod ligant, ligatum maneat in cœlis, Matth. XIX, 18. Hæc Meisnerus.

Porisma XII.

Et Pastor & Auditores de salute sua possunt esse certi.

Certitudine quidem non absoluta sed limitata atque hypothetica, si stent atque perseverent in fide. Idcirco enim in Christo electi sumus, ut essemus sancti & irreprehensibiles, Eph. I, 4. Secus enim quicquam impius & securus diabolica imaginatione sibi persuadere posset, se filium Dei esse. At, qui dixerit, novi Deum, & præcepta ejus non servaverit, mendax est, & veritas non in ipso. I. Joh. II, 4. Certitudinem autem electionis fidelium textus firmat duplici modo: primo ratione Pastorum, deinde ratione Auditorum. Ratione Pastorum argumentor:

Quicumque constanter & usque ad finem vite attendit sibi & doctrine, is eternam salutem consequitur.

Atqui omnis fidus Pastor attendit hoc modo sibi & doctrine.

Ergo omnis fidus Pastor salutem eternam consequitur.

Ratione Auditorum:

Si omni audienti vocem Dei, salus & vita certissime datur, ea & ovi omni dabitur.

Sed prius est, Ergo & posterius.

Si quis autem de constantia fidei finali dubitet, huic respondet B. Gerhardus *Medit. de Prædestin. Considera præterita misericordie divine beneficia, & de finali non dubitabis perseverentia.* Quod Paulus iterum probat: *Qui, inquit, inchoavit opus bonum, ipse perficiet, Phil. I, 6. & II, 13. Qui in Christo sunt, in iis non est condemnatio. Rom. IX, 16.* Et qui Christo adhærent in hac vita per crucis æmulationem, adhærebunt etiam ei in altera vita per gloriæ participationem, Rom. VI, 8.

Porisma XIII.

*Potest Pastor fidus, quanquam indignus, Verbum salutariter
prædicare & Auditores salvare.*

De Pastore Fido nihil est dubii, quin in eo salutare Verbum
inveniatur. Si quis enim hoc neget, eum ipsam Ministerii effi-
cacia negare oportet, quod esset Apostolo obloqui. Quod ve-
ro Pastor etiam indignus vi oraculi nostri Verbum salutariter
prædicare queat, de hoc inter Orthodoxos & Donatistas lis orta
est. Quanquam vero Timotheus homo bonus erat, apud Deum
in gratia, attamen etiam erat homo peccator. Rom. III, 23. Et
licet ille non fuerit peccator præfractus, tamen proinde non se-
quitur, excludi h. l. impios ministros, doctrinam Evangelii pure
proponentes. Non enim effectus ille a Ministris, sed a Magistro,
& Organo, quod est doctrina Evangelica dependet. Nam sicut
sol per collutulatas etiam fenestras conclavibus lucem affert;
sicut etiam ager per manum licet impuram confitus, eosdem ta-
men, quos ceteri, fructus fert; ita & vivum Verbum divinum
per malos licet ministros oblatum, eadem tamen vi atque effi-
cacia hominum corda penetrat. Hinc ita cum Apostolo colligo:

*Quicumque potest attendere Scriptura, eandemque in vero sensu Au-
ditoribus proponere, ille etiam Auditores suos salvare potest.*

*Atqui Pastor etiam indignus attendere Scriptura S. eamque in vero
sensu Auditoribus proponere potest.*

Ergo Pastor etiam indignus Auditores suos salvare potest.

Majorem qui inficiatur, effectum Apostoli inficiatur. Minor ne
quidem ab Adversariis in dubium vocatur. Unde aliud enasci-
tur nobis argumentum:

*In quocunque vera & salutaris Theologia haberi potest, ille & Ver-
bum potest salutariter prædicare.*

Atqui & in impio Pastore salutaris & vera Theologia haberi potest.

Ergo Pastor etiam impius Verbum Dei salutariter potest proponere.

Major patet exinde, quod Theologia fluat ex attentione Scripturæ
S. hanc autem in impio Pastore reperiri jamjam demonstratum.

Minor ad oculum demonstratur à Magnif. Dn. Præsidente, in
Theolog. Thet. qui consulatur.

S. D. G.

Coll. div. A

193.43